



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Alia tes sententiæ de essentia intellectionis proponuntur, ac
profligantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

Aristotelem ei fauere lib. 3. de anima capite 5. vbi sic inquit; *Scientia autem ea, quæ est actus, est idem quod res.* At hæc identitas scientiæ actualis cum re scita defendi nequit, si sit qualitas realiter adæquatè distincta à re scita, ac per hanc ne ex parte, constituta: necessum ergo est, vt scientia præter qualitatem immanentem inuoluat intrinsecè rem scitam, ac per eam inadæquatè saltem constituatur, vt sic dici possit aliquo modo idem quod res scita: qua ratione in sacris literis homo vocatur absolute caro, & ex consequenti idem cum illa reputatur, propter inadæquatam duntaxat cum carne identitatem.

37 Respondeo Aristoteli vbi suprà non esse sermonem de identitate physica, & propria, ita enim verisimilitudinem haberet aliquam argumentum factum, sed de identitate intentionali, & impropria seu metaphorica: hæc autem facta recta manet, tamen si scientia realiter adæquatè distinguitur à re scita, & hanc ne inadæquatè includat: licet enim dissimilitudo physica, & propria inter scientiam & obiectum coheret cum vtriusque perfecta similitudine intentionali impropria nec hæc tollit minuitve illam, aut è conuerso; sic etiam identitas intentionalis, & latè sumpta inter vtrumque haud potest tollere, quominus physicè, ac propriè loquendo adæquatè distinguantur, nec se inuicem villo modo includant.

38 Quod autem non de identitate physica, & propria, sed de intentionali, & impropria sermo sit Aristoteli, constat ex eiusdem libri tertij de anim. cap. 8. ibi: *Atque scientia quidem est res ea quodammodo, quæ sub scientiam cadunt, sensus autem ipsæ sensibiles.* Quo loci vocula, quodammodo, identitatem, de qua loquitur, impropriam, & adumbratam esse satis demonstrat. Hac eadem ratione explicandus est Aristoteles eodem libro 3. capite 4. ibi: *Atque intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa, actu vero nihil est eorum antequam intelligat ipsa.* Et paucis interpolitis: *Est etiam intelligibilis & ipse & intelligibilia cuncta: nam in hisce quidem, quæ sine materia sunt, intelligens, & id quod intelligitur idem est: etenim idem est contemplatiua scientia, & id quod ita sub scientiam cadit.* Atque hæcenus prima ad Aristotelem responsio. Dici etiam ulterius potest, nihil eum aliud voluisse, quam scientiam esse idem cum obiecto formaliter & in esse obiecti sumpto, quia nimirum obiectum in ratione obiecti siue cogniti per ipsam scientiam constituitur. Quare etsi Philosophus loquatur de identitate physica, & propria, cum tamen eam non admitteret, etiam inadæquatam inter scientiam, & obiectum in esse rei, sed in esse obiecti, sanè aduersariis parum, aut nihil fauet.

39 Qui sequuntur sententiam Gotfredi capite superiori secundo loco relatam, & reiectam obiciunt, intelligere esse quoddam pati, seu recipere, iuxta Aristotelem lib. 3. de anima capite 4. textu 2. intellectio ergo consistit in passione quadam, seu receptione speciei impressæ, & intelligibilis. Nec refert; inquit, quod intellectum intelligere significetur nomine actionis: nihilominus enim potest esse re ipsa passio, qualis explicata est: haud secus ac obiectum intelligi significatur nomine passionis; & tamen est vera actio, qua obiectum intellectiōem, seu cognitionem sui in intellectu mediata, vel immediate causat. Respondeo: licet intelligere sit quoddam pati, nec voce tenus, sed re ipsa, vnde tamen colligunt aduersarij intelligere esse pati speciem

impressam, & non potius expressam ea posteriore, ab eaque causatam? Adde secundo, non omne intelligere iuxta Aristotelem esse quoddam pati, sed tantum intelligere passiuum iuxta illum in passione esse positum: de quo infra.

Arguunt secundo aduersarij ab Auctoritate Augustini libro 11. de Trinitate, capite 2. ibi: *Nullo modo tamen eiusdem substantiæ est corpus, quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, & ipsa forma, quæ ab eodem imprimitur sensui, quæ visio vocatur:* quibus verbis formam, seu speciem impressam sensui visionem Augustinus perspicue appellat. Deinde ibidem inferius sic prosequitur Augustinus: *Illam tamen informatio sensus, quæ visio dicitur à solo imprimitur corpore, quod videtur, id est, à re aliqua visibili, quæ detracta, nulla remanet forma, quæ inerat sensui, dum aderat illud, quod videbatur.* His etiam verbis speciem à solo obiecto impressam, ac productam, & non nisi receptam in sensu sensationem Augustinus appellat. Tandem non longè infra idipsum repetit in hæc verba: *Tria hæc quamuis diuersa natura quemadmodum in quadam unitatem contemperentur, meminerimus: id est, species corporis, quæ videtur: & impressa eius imago sensui, quæ est visio, sensusve formatus: & voluntas animi, quæ rei sensibili sensum admoet.* Ac paucis intercalis: *Cum igitur horum trium tam diuersæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt unitatem, vt duo priora, vix intercedente iudice ratione, discerni valeant: species videlicet corporis quod videtur: & imago eius, quæ fit in sensu, id est, visio.*

Respondeo, Augustinum aut in contraria opinione fuisse; aut non ex propria sententia loquutum esse, sed potius ex Platoniorum opinione, qui cognitionem omnem per similitudinem vniuocam rei cognoscentis, & cognita fieri arbitrabantur; aut demum non de visione actuali, siue in actu secundo, sed de sola visione in potentia, & actu primo sermonem ei fuisse: atque hac ratione eum interpretatur Capreolus vbi suprà: qui etiam plura alia argumenta pro sententia Godofredi proponit, ac rectè soluit.

CAPVT V.

Alia tres sententiæ de essentia intellectiōis proponuntur, ac profligantur.

Q Varta sententia de essentia intellectiōis est, eam esse actionem immanentem absque villo termino per illam producto P. Hurtadus disput. 16. metaphys. sect. 1. subsect. 1. cum aliis multis arbitratu ita philosophari Thomistas non paucos: at eos à tam absurda sententia vendicat Egidius tom. 1. de beatitud. lib. 4. q. 2. art. 3. n. 4. Quorumcunque tamen sit, quod sit manifestè falsa suadet. Implicat enim cognitionem aliquam intellectus existere, quin aliquid per eam cognoscatur, aut volitionem aliquam inesse voluntati, quin aliquid per eam sit volitum, amatumve parique ratione repugnat, vnionem vllam physicam dari absque eo quod denominetur quidpiam per eam vnitum, aut qualitatem quandam, vel quantitatem in rebus existere sine eo quod per illas aliquid quantum, aut quale dicatur, aut certè possit dici: similiter ergo repugnabit actio, per quam terminus aliquis, vel distinctus, vel saltem indistinctus non agatur.

Confirmatur, & declaratur. Actio est id quo causa aliquid

aliquid agit, ut vel ex sola patet apprehensione terminorum: de conceptu ergo essentiali actionis est, ut per eam causa aliquid agat: causam autem aliquid agere & à causa aliquid agi vi actionis correlatiua sunt, ac penitus inseparabilia inuicem: quo fit ut etiam de conceptu essentiali actionis sit, quod per illam causa aliquid agat, atque adeo quod terminum aliquem à se productum fortiat. Multa alia adferri possent argumenta superiore haud minus efficacia: quibus tamen non est quod immoremur ad falsitatis euincendam sententiam per se, ac sponte sua, ut dictum est, manifestè falsam, atque absurdam.

44 Alia porò ordine quinta est, intellectionem esse actionem quandam immanentem habentem terminum à se distinctum; eamve qua prater ipsam aliud quiddam, nempe verbum, producit ab intellectu. Ita Capreol. in 1. distinct. 27. quæst. 1. Caietan. 1. p. quæst. 27. art. 1. dub. 1. Ferrara. 1. contra gent. cap. 53. Iauellus 9. Metaph. quæst. 16. Ioannes Vincentius in relectione de gratia Christi quæst. 6. dub. 1. Bannez 1. p. q. 27. art. 1 in 2. p. articuli & communiter alij Thomistæ. Quorum tamen plerique cognitionibus sensitivis, aut etiam appetitionibus, qualescunque sint, terminum distinctum realiter, realiteruè productum non tribuunt: alij etiam cum largiri nolunt omnibus intellectionibus, sed iis duntaxat quæ circa obiectum absens, non verò præsens versantur.

45 Existimo etiam hanc sententiam esse falsam. Primò quia terminus ille per actionem immanentem intellectus, iuxta aduersarios, productus verbum ipsius est, veraque obiecti sui imago: est igitur intellectio: ac proinde hæc, vniuersaliter loquendo, in actione non cõsistit. Antecedens est eorum omnium, quibuscum discipramus: posterior consequentia probatione non eger; adeo est perspicua: prior autem hunc in modum ostenditur: imago intentionalis obiecti alicuius est eius similitudo, ac representatio intentionalis: atqui similitudo, & representatio intentionalis obiecti est intellectio: ergo & imago obiecti erit intellectio, & sic terminus actione intellectuali productus, ab eaque indistinctus imagine fortietur vim, ac rationem intellectionis. Huius sillogismi maior est indubitata. Minor verò suadetur: quia si per possibile vel impossibile vniatur absque ulla actione immanenti talis similitudo, ac representatio intentionalis intellectui, suum certe illi communicabit effectum formalem: cum omnis forma vnita subiecto capaci ei tribuat suum effectum formalem: fierique nequeat ut albedo v. g. vniatur parieti, quin eum denominet album: cæterarum autem formarum, & denominationum quidni par sit ratio? Porro effectus formalis similitudinis intentionalis est vnum reddere alteri simili intentionaliter; & representationes reddere vnum alteri representatum: similitudo igitur illa, ac representatio intentionalis obiecti, si ponatur diuinitus vnita intellectui seorsim à quavis actione, & causalitate, eum denominabit intentionaliter similem obiecto: & hoc intellectui formaliter representatum: quando igitur formalissimè idem est intellectum intelligere obiectum, ac eum assimilari intentionaliter obiecto, & hoc illi representari; sanè intellectus seorsim à quavis actione, & causalitate vi solius similitudinis, ac terminis, de quo supra, poterit intelligere, atque adeo talis similitudo, & terminus verissima erit intellectio.

46 Confutatur secundo eadem opinio. Secunda, & tertia persona sanctissimæ Trinitatis intelligunt verè, ac propriè: & tamen non produciunt verbum: intelligere ergo Dei essentialiter, ac omnibus personis commune non est producere verbum: cur igitur intel-

ctus creatus non poterit intelligere per solam imaginem obiecti in se receptam seorsim ab eo, quod illam producat? neque enim ob id ad infinitatem eueheretur aliquam: siquidem ut finitus, & imperfectus sit, sufficit eum recipere, & causare materialiter imaginem illam obiecti, per quem intelligit, ab eaque immutari. Quocirca consequentia argumenti satis perspicua est: antecedens vero quoad neutram eius partem salua fide catholica negari potest: qui enim priorem illius partem negaret, is filium Dei, ac Spiritum sanctum cuius creaturæ rationali, & intellectiua postpōneret, peiusque Atrio insaniret: qui autem posteriorem eiusdem antecedentis nostri partem inhicis iter, eo ipso tres Patres assereret, atque insuper verbum principium productiuum sui, & Spiritum sanctum, aut principium sui principij, aut certe principium alterius verbi, quartæque personæ, imò & infinitarum fateri cogeretur.

Huic argumento respondent aduersarij, intellectionem essentialiter Dei tribus personis communem, non esse actionem propriè, & formaliter: cæterum esse æquiualetem actionem, quia nimirum perinde Deus eam habet à se, ac si illam immanentem ageret. Hæc solutio multorum plausu, & consensu recepta est: si tamen penitus examinetur, ab omnibus merito debet explodi. Namque in primis Filius, vel Spiritus sanctus (par enim est vtriusque ratio in præfenti) intelligit quidem, & tamen non habet intellectionem suam à se, sed potius à Patre, à quo generatur, & à quo omnia, præter esse Patrem, accipit: Filius igitur intelligit per intellectionem acceptam ab alio, & à se minime productam: cur ergo intellectus creatus intelligere nequeat per intellectionem acceptam præcisè ab alio, & à se minime productam, siue (quod in æquo est) Verbi nullius productiuam. Nec satisfaciunt, si dicas intellectum essentialiter Filij habere à se, intellectionem, & hoc sufficere, ut Filius intelligat, licet verbum non producat. Nam si intelligere omne est agere, ac producere Verbum, sanè uti Filius medio intellectu essentiali dicitur intelligere, sic etiam medio eodem intellectu debet agere, ac producere Verbum: at Filius ne quidem denominatione desumpta ab intellectu essentiali potest dici produciens verbum, alias sui ipsius productiuus dici posset: quare quamuis ea solutio quodammodo explicet, quatenus natura diuina sine actione immanenti intelligat, non tamè quatenus personæ diuinæ possint intelligere, si huiusmodi denominatio consistit in actione.

48 Præterea Deus habet intellectionem à se negatiuè tantum, id est non ab alio, secus verò positivè: at hoc pacto eam habere à se, est eam impropriè ac metaphysicè habere à se: ergo etiam poterit intellectus creatus intelligere, quin intellectionem propriè à se habeat, sed duntaxat impropriè, ac metaphysicè: quamuis autem intellectionem, & imaginem obiecti sibi tantum vnitam, ac positivè à se non productam haberet, nihilominus eam impropriè à se haberet: siquidem intellectio illa: & imago ut vt qualitas esset, actio tamen grammaticalis nemine dissentiente vocaretur: unde per eam intellectus posset, & deberet intelligere. Minor autem præcipua huius nostri discursus est manifesta: etenim filius est negatiuè quodammodo effectus Patris æterni, ab eoque, quod perinde est, negatiuè causatur: id est non causatur ab alia vlla causa, ad modum quo dici solet, Deum esse à se negatiuè, quia non est ab alio: atqui filius propriè non causatur, neque efficitur à Patre æterno, ut exploratissimum est, sed tantum ab eo generatur: similiter ergo causare siue habere à se negatiuè intellectionem non erit eam propriè, non nisi metaphysicè

metaphoricè à se habere: quæ est minor, quam, pro-
bandam assumpti.

49 Rursus contra eandem solutionem sic insurgo. Deus non magis habet à se intellectiōem qua intelligit quam immensitatem, æternitatem, bonitatem, iustitiam, aliaque quævis prædicata, quibus afficitur: pari ergo ratione intellectualis creatura, ut intelligat, non debet magis habere à se intellectiōem, terminumve illius, quam quodvis aliud accidens, ad hoc ut ab eo denominetur: atque adeò, sicut dicitur durans, ybicata, unita, aut aliquo modo qualis, quin has denominationes subitura formas illarum debeat immanenter producere, ita similiter intelligere poterit, quin intellectiōem producat. Cur obsecro, intellectio Dei conveniat cum reliquis eius prædicatis, in eo quod non minus hæc quam illa sint à se negatiue, siue, quod iuxta est, non ab alio? & similiter intellectio creata non conveniat cum quibuscunque aliis formis accidentalibus naturæ rationalis creaturæ, in eo quod sicut hæc, quin propriè, & positiue sint ab intrinseco, denominationes tamen suas tribuunt, ita & illa idipsum seruata proportione possit præstare: mitto alias impugnationes superioris argumenti nostri: ac

50 Tercio principaliter argumentor contra aduersariorum sententiam paulò suprà relatam: quia ex ea sequitur, terminum illum intellectiōe productum, ab eaque realiter distinctum ita se habere ut eius actio sit eo perfectior, & simul non sit eo perfectior, sed minus perfecta: quæ tamen sunt contradictoria, & nullatenus admittenda: perfectior quidem, quia ea actio, iuxta aduersarios, est intellectio, & cognitio, ac per consequens visio Dei, atque vltima felicitas, & beatitudo nostra: terminus verò actionis illius non est aliquid horum: actio igitur illa terminum suum perfectione superat. Deinde imperfectior esset ea operatio, & actio quam eius terminus: siquidem quoriscunque aliquid est extra operationem, & præter illam ea perfectius est, ut penè his verbis docet Arist. 1. ethic. ac 9. met. utque per se exploratum est: cum enim actio ob id à causa ponatur, ut eius terminus existat, neuiquam ponenda hoc sine sublato, certè non poterit actio termino suo perfectionis, & nobilitatis gradu non decedere: atqui terminus actionis intellectiue præter eam est, & ab ea distinguitur secundum aduersarios: perfectior ergo erit quam illa: ac proinde illa haud censenda est perfectior, sed potius minus perfecta quam terminus.

51 Consulto dixi, *extra, aut præter operationem*: tum quia operatio, siue actio est terminus sui, siue per seipsam producit: & tamen non est perfectior seipsa: nimirum quia non est extra seipsam, nec à seipsa distinguitur: tum etiam, quia Verbum est terminus generationis paternæ: nihilominus haud est perfectior generatione Paterna, quia non est extra illam, ut modò loquimur: si namque sermo sit de generatione passiva in diuinis, ab ea nullatenus distinguitur realiter Filius, aut Verbum: si verò de generatione actiua & in relatione Patris sita, non distinguitur ab ea in tertio saltem, sed potius cum illa in tertio, id est in natura diuina verissimam, ac realem habet identitatem.

52 Quarto argumentor aduersus eandem sententiam: siquidem si sola actio productiua Verbi esset intellectio, & cognitio, sanè terminus per eam productus esset omnino superfluous. Cui enim muneri deseruire, aut in quem finem utilis esse potest? nec enim confert ad hoc ut per eam intellectus cognoscat, cum cognitio obiecti non sit, sed potius eius præsupponat cognitionem: nec etiam confert ut intellectus agat vi illius cognitionem obiecti, cum hæc terminum illum agat, non

R. P. Richardi Lincolniensis, Philosophi, Tom. III.

verò ab eo agatur. Quod autem aliqui aduersariorum respondent, terminum illum conducere ut intellectus possit operari, & agere, vanissimum est: tum quia intellectus potest operari, siue agere absque vilo termino à se realiter distincto, ut infra constabit, à se inquam ut operante: ergo, &c. tum etiam quia ob id datur actio, & ponitur in rerum natura, ut vi illius terminus existat: non verò ob id terminus adstruendus est ut actio eius detur: potiusque actio est propter terminum, quam terminus propter actionem: malè ergo philosophantur hi Doctores, ubi terminum illum actionis intellectualis non alio fine dari comminiscuntur, quam ut dari possit actio eius productiua.

53 Quod vero alij aduersariorum respondent ob id Verbum actione intellectiua productum, ab eaque distinctum admittendum esse, ut in illo tanquam in speculo quodam obiectiuo, & idolo obiectum intellectui reluceat, ac proponatur infra latè impugnabitur. Inferius etià ex professo ostendetur ratione & auctoritate Augustini, & aliorum Patrum, verbum nostrum interius esse verè cognitionè obiecti, quod loquitur, dicitque: at iuxta aduersarios verbum nostrum est terminus eius actionis per quam intellectus immanenter operatur, ab eaque realiter distinguitur: & quidè in eo quod distinguatur, quæ esse potest repugnantiæ? ergo cognitio nostra, saltem aliqua, non actio est, sed terminus.

54 Sexta sententia de intellectiōis essentia est, eam consistere in actione immanenti haud quidem sine termino omni, sed tantum sine termino à se realiter distincto: vel, quod in æquo est, eam sitam esse in qualitate quadam intentionali per seipsam producta, atque ab intellectu pèdente. Ita Conimbr. lib. 3. de anim. c. 8. q. 3. art. 3. & q. 4. art. 2. quibus non pauci recentiores adstipulantur. Verum hæc etiam sententia à vero procul aberrat. Primò, quia in nullo effectu ponenda est cōnexio essentialis cum sua causa absque vrgenti necessitate, aliàs fingi poterit, calorem, v. g. quem ignis in se producit, ab eo essentialiter pendere, & nequaquam posse etià miraculosè produci à solo Deo, aliave causa secunda loco huius ignis substituta: sed nulla necessitas cogit adstruere connexionem essentialem intellectiōis cum intellectu: ea ergo adstruenda non est, ac proinde intellectio non est actio, nec per seipsam à potentia intellectiua essentialiter dependet.

55 Vltèrius posset intellectus habere obiecti imaginem sibi solum vnitam, & à se non productam: quæ enim in hoc repugnantiæ? deinde per eam intelligeret, ut in impugnatione præcedentis sententiæ statuimus: omnis ergo intellectio in actione distincta, aut etiam indistincta à termino non consistit. Præterea imago obiecti, siue Verbum per seipsam intellectui non vnitur, sed per vnionem à se realiter distinctam, ut huius sententiæ assertores non renunt: cur ergo per seipsam ab intellectu producat? Tandem quemadmodum intellectus per actionem immanentem intelligit, Verbumque producit, ita etiam ignis, Verbi causa, immanenter agit, ubi sese calefacit, exiccat, illustrat, atque in centrum propellit: atqui harum actionum immanentium termini per seipsos non producantur, sed per modos à se realiter distinctos: similiter ergo terminus actionis intellectiue per seipsam seorsim à quouis alio non producat?

C A P V T V I.

Expenduntur, quæ supersunt sententiæ de essentia intellectiōis.

56 S Eptima de conceptu quidditatiuo, & essentiali intellectiōis sententia est, intellectiōem consistere

D d